OFFICIUM
S. SWIBERTI

In Feria 3. per Annum.

Ad Vesperas Antiph.

SWibertus præ omnibus simplex & discretus, clarus erat moribus corde mansuetus.

Ps. Fer. Dilexi *cum rel.* 143.

Cap. Hymn. & ℣. ut in 1mis Vesp. Officii Maj.

Ad Mag. Antiph.

Sancte Dei sacerdos Swiberte nostras preces suscipe, ut qui fragilitate humanâ circumdati sumus, de munere gratiæ tuæ læti efficiamur.

Oratio per annum.

Propitiare nobis quæsumus Domine famulis tuis per sanctorum Confessorum tuorum Swiberti atque Willeici merita gloriosa, ut eorum piâ intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dom.

Ad Complet.

Hymn. Aditur. Hujus. Sit laus.

Cap. ut in Vesp.

℣. Justus ut palma &c.

℟. Sicut cedrus Libani &c.

Ad N. D. Antiph.

Hunc ut illa. *Ut in Offic. Maj.*

Ad Matut. Invit.

Jubilet Ecclesia &c.

Ps. Venite

Ant. psal. & ℟℟. 2. *Noct.*

Lect. duæ de Script. tertia de Patrono.

Lectio III. Hiemalis. ex Cap. XXVII. p. 87.

De Obitu S. Swiberti Episcopi.

Redeun-

Redeuntibus à joppilia & à Pipino gloriosis Pontificibus Agilolpho Coloniensi, & Swiberto Werdensi Sanctus Swibertus, delectatus in Domino super salutari gratia, à Deo per Willeicum Presbyterum suum Coloniæ patratâ, salutatâ & licentiâ impetratâ à pia Matrona Plectrude, rediit Werdam cum suis discipulis: ibique per triennium sanctissimè vivens, perfecit opera, quæ Deus posuit prodigia super terram, miraculis coruscando, atque ut vox tonitrui in rotâ, profanis Christum evangelizando, idololatriam liberâ voce damnando, multas gentes pagnas sacro fonte Baptismatis Christo regeneravit. Tandem Deus, qui est suorum fidelium merces magna nimis, qui & per Carnis mortem vivos Ecclesiæ lapides de terrenis sedibus ad Cœleste transfert ædificium, S. Swibertum, Strenuum fidei pugilem, coronandum in Cælis de terrenis evocare dignatus est.

℟. A deserti papulis.

Post ℟. Te Deum Laudamus *Præterquam in Septuagesimâ.*

Lectio Vernalis vacat ob Quadragesimam & tempus Paschale.

Lectio Æstivalis ex Cap. II. pag. 114.

Ut S. Swibertus illustrem Principem Hunaldum à peste anginæ, & periculo mortis cum multis aliis liberaverit.

DEinde anno à nativitate Domini Septingentesimo quinquagesimo quinto, serenissimus Pipinus præfatus, jam per S. Bonifacium, Moguntinensis & Trajectensis Ecclesiarum Archi Episcopum, Rex Francorum authoritate

& mandato Zachariæ Papæ consecratus & coronatus, ordinavit nobilem Principem, armis Strenuum, Hunaldum nomine, Principem & Comitem de Angiers, Capitaneum Christianorum in munitione Werdensi Sive propugnaculo, ad tuendum fines Christianorum contra impetus paganorum. Accidit autem eodem anno, ut ipse Hunaldus cum plerisque sui exercitûs militibus squalido squinantiæ morbo infectus ad mortem usque ægrotaret. Cumque de vita quorundam & præsertim Principis Hunaldi desperaretur, & mœror esset validus propterea inter Christianos, ipse Hunaldus egregius Princeps, medicis de vita ipsius desperantibus, fiduciam magnam concipiens in S. Swibertum, eo quod multa miracula dudum ab ipso patrata didicerat, publicè multis coram adstantibus, vovit ipsum devotè visitare, & sibi deinceps fideliter servire, modò ipsum ab imminente periculo & peste suis meritis liberaret. Voto peracto statim absque humano medicamine convaluit, votumque cum suis lætus humiliter adimplevit, & ut vovit, quàm diu vixit, servitio ejus se mancipavit.

Lectio Autumnalis ex Cap. IX. p. 138.

Ut S. Swibertus solenniter à S. Leone Papâ Sanctorum Confessorum catalogo sit adscriptus.

Tandem devotâ instantiâ gloriosissimi Imperatoris Caroli, & venerabilis patris Hildebaldi Archi-præsulis Coloniensis, venit à Colonia Idem S. Papa Leo navigio in Werdam stipatus

patus Imperatoriâ Majestate, ac sacrato Choro Sanctorum Cardinalium & Archi-Episcoporum, ac multorum procerum comitatu. Cui occurrunt usque ad Rhenum devoti fratres conventûs S. Swiberti processionaliter cum incolis ejusdem oppidi de Werda, introducentes eum cum Imperatore & cæteris in Eclesiam S. Swiberti multùm devotè ac honestè. Et illo die, quo intravit, jejunaverunt incolæ de Werda, cum toto conventu Authoritate Apostolicâ. Alterà verò die, quæ fuit pridie Nonas Septembris, omnes tam Papa S. Leo, quam Carolus Imperator & alii convenientes in Ecclesia & conventu S. Swiberti, ibi oratione finitâ omnium convenientium in Ecclesia, statim celebrante solemniter Summam Missam felice Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo & Sanctissimâ vitâ ipsius cum innumeris miraculis, conscriptâ per venerabilem presbyterum Marcellinum, socium & conterraneum ipsius Sancti, ibidem lectâ, Papa S. Leo, de assensu pariter & consensu suorum Cardinalium, cæterorumque Prælatorum, illic coram adstantium, solenniter catalogo sanctorum Confessorum ipsum adscripsit.

Ad Laudes & reliquas Horas ut in Officio Maj.

Ad Bened. Antiph.

Submissis animis modò te Swiberte rogamus, condescende humili, mitis adesto preci, nos quoque flagitii purgatis sordibus aptum sancte tibi facias laudis inire melos.

Oratio Propitiare.

Ora-

Suff per Annum

Ad Vesp.

Swibertus præ omnibus
ut in Vesp.

℣. Ora pro nobis Sancte Pater Swiberte.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Laudes.

Sancte Swiberte
Confessor Domini pretiose
adesto nostris precibus
pius ac propitius.
℣. & ℟. *ut in Vesperis.*
Oratio Propitiare.

In Festo S. WILLEICI primi Præpositi Werdensis 7. *Martii*

Sub ritu dup 2. Cl.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

℟. Iste Sanctus dignè in memoriam vertitur hominum,
& gaudium transiit Angelorum. *
Quia in hac peregrinatione
solo corpore constitutus
cogitatione & aviditate
in illa æterna patria
conversatus est.
℣. Vinculis carnis absolutus
talentum sibi creditum
suo Domino duplicatum reportavit.
Quia in hac. Gloria.
Quia.

Oratio.

Deus æternæ consolationis Pater tuam deprecamur Clementiam, Ut per beati Willeici Confessoris tui preces nos famulos tuos ab omnibus propitiatus absolvas peccatis, ut perceptâ veniâ peccatorum liberis tibi mentibus serviamus. Per Dom. &c.

Lectiones 1mi & 2di Nocturni ex Historia S. Swiberti Cap. 26. pag. 83. & seq.

In primo Nocturno.

De Vita S. Willeici Confessoris presbyteri S. Swiberti Episcopi, & miraculis per ipsum perpetratis Coloniæ.

Lectio-

Lectio I.

Sanctus Willeicus Presbyter, primus Canonicus conventus novellæ Trajectensis Ecclesiæ, vas virtutum, pura intentione, spe supernæ retributionis derelinquens mundum, Christo sincero corde servire Studuit. Ipse enim ab adolescentia sua cum S. Swiberto in orationibus & continentia ac meditatione Divinarum scripturarum vitam felicem sedulus agebat. Ipse nihil hujus mundi quærere, vel curare & amare curabat.

℟. Euge serve &c.

Lectio II.

In Divinis Scripturis sufficienter à S. Swiberto instructus, Latinâ linguâ & Germanicâ eruditus fuit. Erat enim eloquentissimus, & mansuetissimus, iræ & avaritiæ victor, superbiæ simul ac vanæ gloriæ contemptor, pauperum & infirmorum consolator. Ipse erga inopum provisionem non solùm pietate mentis, sed etiam studii laborare solitus fuit. Multos gentiles in diversis provinciis suâ salubberrimâ prædicatione à veneno idololatriæ ad dulcorem fidei Christi perduxit.

℟. Inveni David. &c.

Lectio III.

In Monasterio verò Werdensi factus Præpositus sub S. Swiberto, abstinentiæ & continentiæ, cæterarumq. virtutum omnium fratribus exemplum dabat. Plures etiam & authoritate Magisterii, & exemplo suæ actionis, ad regularem instituebat vitam. Nec solùm ipsi Monasterio regulis vitæ monita simul & exempla præbebat, sed & vulgus circumpositum longè latèque à Stultæ idoladatriæ, vitæ consuetudine ad Christi & cælestium gaudiorum curabat convertere amorem.

℟. Desiderium animæ &c.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

ET quidem cujus meriti fuerit, etiam miraculi signo internus arbiter edocuit. Eodem enim tempore, quo præfati Pontifices sacri ad Pipinum ægrotantem legatione fungebantur, & ipse venerabilis Pater Willeicus ad instantiam gloriosæ & devotæ Plectrudis, Coloniæ manebat: ægrotabat quidam primarius colonienſis Gotebaldus nomine, acerrimâ ægritudine pressus, ita ut deficiente penitùs omnium membrorum officio, jam mortuus esse videretur: cui jam funebria justa præparata erant, & loculus in quo defunctus condi deberet.

℟. Posui adjutorium &c.

Lectio V.

Maria verò conjux ejus, precibus & lachrymis interpellans gloriosam Principem Plectrudem, impetravit ut infirmus à B. Willeico presbytero S. Swiberti visitari deberet. Credidit verò quod si bonus discipulus, à bono magistro educatus, intraret domum ejus, oraturus pro eo, manumque imponeret illi atque benediceret, statim meliùs haberet. Intravit ergo S. Willeicus cum devota familia felicis Plectrudis domum ægroti, post divinorum celebrationem: videnſque eum mœstis omnibus jam morti proximum ac loculum ante cubiculum, in quo sepeliendus poni deberet, prosternens se oratione, cum orasset diu cum lachrymis surgens dixit: Domine JEsu Christe clementissime Deus, qui dixisti: *Super ægros manus imponent & bene habebunt*: ostende hic pietatem tuam, & cura infirmum hunc potenti tua virtute, ut nomen

men tuum benedictum in sæcula, magnificetur ab omnibus. Cumque hæc dixisset, Imponens manum suam super caput benedicensque eum ter, continuò surrexit, & veterno infirmitatis discusso, induit se ipse vestimentis suis: Egressusque cubiculum cum S. Willeico jussit mensam præparari, cibos apponi, & convivium instrui, quia delectaretur cum S. Willeico manducare & bibere.

℟. Iste est &c.

Lectio VI.

Cum verò omnes multum gauderent de sospitate illius, S. Willeicus cum gratiarum actione devotè orationibus incubuit, donec potius raptus quàm vocatus inter eos resedisset. Gotebaldus verò propè S. Willeicum assidens, vescebatur, bibebat, lætabaturque quasi unus e convivis ac gratias agebat & multis post vixit annis Plectrudis verò religiosa Domina hæc audiens maximo deinceps S. Willeicum habuit honore; Deum qui mirabilia magna solus facit, collaudans. Præfuit autem S. Willeicus Monasterio Werdensi annis decem post decessum sanctissimi Præsulis Swiberti, & mortuus est anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo vigesimo septimo, sexto Nonas Martii. Ad cujus sepulchrum ad indicium virtutis illius, solent crebra sanitatum miracula fieri.

℟. Amavit eum &c.

SANCTVS SWIBERTVS AC SANCTVS VVILLEICVS EPISCOPVS ET PRÆPOSITVS VVERDENSES INTERCEDANT PRO NOBIS.

Oratio-

Orationes apponendæ Brev. Colon.

In Festo S. Joan. Nepom. 16. Maji.

Oratio.

Deus qui ob invictum Beati Ioannis Sacramentale Silentium novâ Ecclesiam tuam Martyrii coronâ decorasti, da nobis ejus intercessione & exemplo linguam cautè custodire, ac omnia potiùs mala quàm animæ detrimentum in hoc sæculo tolerare. Per Dom. &c.

In Festo SS. Ros[illegible] primâ Dom. [illegible]

Oratio.

Solemnitatem Rosarii Beatmæ Virginis Mariæ genitricis tuæ celebrantes quæsumus omnipotens Deus benigno favore prosequere, quatenus ita ipsius Sacra Mysteria contemplemur in terris, ut post hujus vitæ cursum eorum fructus percipere mereamur in Cœlis.

Qui vivis & regnas. &c.

LAVS DEO SEMPER ECCE FINIS